SENTENTIA IN PROCESSV COMISSIONIS, ET EXECVTIONIS LITERARVM APOSTOLICArum, Vicarij, Portionariorum & Capituli Parrochialis Ecclesiæ Sancti Michaelis Ciuitatis Darocæ.

CONTRA DECANVM, CANONICOS, ET Capitulum Collegialis Ecclesiæ Beatæ Mariæ Sanctissimorum Corporalium eiusdem Ciuitatis.

SVPER APPELLATIONE.

Per Illustrem Dominum Doctorem DOMINICVM MIRAVETE *Priorem, & Canonicum Sanctæ Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ Maioris, & de Pilari Ciuitatis Cæsaraugustæ Iudicem executorem, & Cõmissarium Apostolicum ab Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino D. Ioanne Baptista Pamphilio, Dei & Apostolicæ Sedis gratia, Patriarcha Antiocheno, & Sanctissimi Domini nostri Domini Vrbani diuina prouidentia Papæ Octaui, & Sanctæ Sedis Apostolicæ in Hispaniarum Regnis, cum potestate Legati de Latere Nuncio, Iuriumque Cameræ Apostolicæ Collectore Generali suis Apostolicis literis mediantibus specialiter datum, & deputatum lata, & promulgata.*

IN Dei nomine Amen. Nouerint vniuersi, quod anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo nono, die verò computata vigesima octaua mensis Maij, apud Ciuitatem Cæsaraugustæ Regni Aragonum, coram Illustri Domino Doctore Dominico Mirauete Priore, & Canonico Ecclesiæ Collegialis Beatæ Mariæ de Pilari dictæ Ciuitatis Cæsaraugustæ Iudice executore, & Commissario Apostolico ab Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino Don Ioanne Baptista

Pamphilio Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Patriarcha Antiocheno, & Sanctissimi Domini nostri Domini Vrbani, Diuina prouidentia Papæ Octaui, & Sanctæ Sedis Apostolicæ in Hispaniarum Regnis cum potestate Legati de latere Nuncio, iuriumq; Cameræ Apostolicæ Collectore generali, suis Apostolicis literis in infra intitulando Processu insertis, mediantibus, virtute clausulæ, & eorum cuilibet, in inscriptione dictarum literarum appositæ, ad infra mentionandã causam, dato, & deputato, & in quodam Processu, & causa coram eo, tanquam Commissario prædicto in gradu appellationis vertenti, intitulato Processus Commissionis, & executionis literarum Apostolicarum, Vicarij, Portionariorum, & Capituli Parrochialis Ecclesiæ Sancti Michaelis Ciuitatis Darocæ, contra Decanum, Canonicos, & Capitulum Collegiatę Beatæ Mariæ Sanctissimorum Corporalium eiusdem Ciuitatis, super appellatione, in iudicio, hora, & loco assignatis, pro tribunali sedente, comparuerunt Ferdinandus Sanchez, & Michael Hieronymus Rios Notarij Causidici Cæsaraugustañ, Procuratores partium respectiuè, quibus instantibus, & supplicantibus, dictus Dominus Prior, & Iudex Apostolicus præfatus quandam, seruatis seruandis, protulit, legit, & in scriptis promulgauit sententiã diffinitiuam tenoris sequentis. IESV CHRISTI, & immaculatæ Virginis Mariæ matris eius nominibus inuocatis. NOS Doctor Dominicus Mirauete, Prior Sanctæ Ecclesię Beatæ Mariæ de Pilari Ciuitatis Cæsaraugustañ, Iudex & Commissarius Apostolicus specialiter datus, & deputatus ab Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino Hispaniæ Nuncio Apostolico, inter partes in hoc Processu nominatas literis Apostolicis mediantibus, attentis contentis, & visis processibus actitatis coram Domino Officiali Cæsaraugustañ, in prima instantia, & coram nobis in hac secunda, ac visis videndis, pronuntiamus, sententiamus, & declaramus per dictum Dominum Officialem Cæsaraugustañ in prima instantia bene fuisse iudicatum: & ideo eius sententiam, tanquam iustam, & iuri, seu forijs, & obseruantijs huius Aragonum Regni consonam, in omnibus, & per omnia confirmamus; ab eaq; malè appellatum dicimus per Vicarium, & Clericos Portionarios Ecclesiæ Parrochialis Sancti Michaelis Ciuitatis Darocæ principales Hieronymi de Rios Procuratoris ex caussis, & rationibus in dicta sententia contentis, & aliàs. Præcipuè tamẽ: quia per sententiam arbitralem inter partes litigantes latam per Paschasium Ladron, & Martinum Castejon dispositum extat, per hæc verba.

verba. *Decimam totius termini Ciuitatis Darocæ pertinere, & expectare ad dictam Ecclesiam Beatæ Mariæ, tanquam ad maiorem, & matricem, excepta Decima Vicinorum Parrochianorum, & Pecteiriorum Ecclesiarum Parrochialium; quam percipiant, Clerici ipsarum Ecclesiarum integrè, prout antiquitus consueuerunt percipere, & habere.* Quæ verba, *Vicinorum Parrochianorum, & Pecteiriorum Ecclesiarum Parrochialium*, sunt copulatiua; & sic sex Ecclesiæ Parrochiales solùm possunt exigere Decimam eorum, qui simul sunt vicini dictæ Ciuitatis, & Parrochiani alterius dictarum sex Parrochialium, & etiam Pecteirij. Et sic, quia Infantiones, & Milites, non sunt, nec vicini, nec pecteirij; eorum Decimæ pertinebunt ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ. Præterea, quia hoc idem venit declaratum, & dispositum (licet sub diuersa verborum forma) per alteram sententiam arbitralem, latam per Ioannem Aluarez de Chalez, & Antonium Petrum del Lagar, per hæc verba. *Quòd Decimæ hæreditatum, seu possessionum Regalium, ordinum, Infantionum, antiquorum, & de nouo creatorum, & creandorum, etiam illorum, qui suam probabunt Infantioniam, ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ, & Priorem, & Canonicos ipsius, de cætero pertineant, & expectent.* Ex quibus verbis resultat, quòd Decimę eorum omnium, qui non sunt pecteirij, (idest de signo seruitio) pertinent ad Ecclesiã Sanctæ Marię. Et ratio est. Quia Aragonensium natura, & conditio, ita discernitur; vt alij sint Infantiones; alij signi Regis, vel de signo seruitio, & verbum, *Infantio*, est commune, & genericum ad omnes non pecteirios; idest, ad omnes species nobilitatis; & sic ad milites; vt patet in obseruantia secunda de condit. Infant. fol. 19. & in alijs quam plurimis foris, & obseruantijs; & tenent Doctores Foristę, & præcipuè Bardaxi in tractatu de offi. Guber. q. 5. num. 33. fol. 67. referens Molin. & alios. Et tandem in nostro casu reperitur consuetudo immemorialis Ecclesiæ Sanctę Mariæ percipiendi dictas Decimas, de quo satis constat per alteram ex Concordijs, & per Sententias iudiciales, & etiam per testes; ex quibus, & alijs ita duximus sententiandum, & sententiamus, non solum prædicto, sed etiam omni meliori modo, &c. neutram partium in expensis condemnantes &c. Mandantes, &c. Ita pronuntiamus Doctor Dominicus Mirauete Prior, Iudex, & Commissarius Apostolicus præfatus. Et dicta diffinitiua sententia sic per dictum Dominum Priorem, & Iudicem Apostolicum in scriptis, vt præmittitur lata, & promulgata, fuit per dictum Ferdinandum Sanchez Procuratorem prædictum, videlicet Decani, Canonicorum, & Capituli

dictæ

dictæ Ecclesię Collegialis Beatæ Marię Sanctissimorum Corporalium dictæ Ciuitatis Darocæ, in quantum pro sui parte facit, aut facere potest, acceptata, laudata, & approbata, & eodem supplicante fuit mandatum intimari, & fuerunt concessæ literæ necessariæ in forma solita, & assueta, & iuxta stilum. Dictus verò Michael Hieronymus Rios ex aduerso Procurator, in dicta diffinitiua sententia non consentiendo, prout non consensit, imò sentiens se, & suos principales in eadem nimium læsos, & grauatos, timensq; fortius in posterum lædi, & grauari à prædicta diffinitiua sententia viua voce appellauit ad Sanctissimum Dominum nostrum Papam, sanctamque Sedem Apostolicam, & ad illum, vel illos, ad quem, seu quos de iure, & aliàs appellare, & prouocare potest, & valet, & supplicauit dictæ suæ appellationi responderi, & tanquam iustæ deferri, & Apostolos reuerentiales, seu tales, quales de iure & aliàs, sint dandi, & concedendi, sibi dari atque concedi, cum quibus suam huiusmodi prosequi valeat appellationem, & dictus Dominus Prior, & Iudex Apostolicus tacuit, à qua quidem taciturnitate dictus Michael Hieronymus Rios Procurator prædictus, iterato & de nouo appellauit ad quos, & prout supra, ex quibus omnibus, & singulis ante dictis fuit confectum per me infrascriptum dictæ causę Notarium hoc pręsens publicum instrumentum pręsentibus ibidem Reuerendis Dominico de Les, & Iacobo Clauero Pręsbyteris Beneficiatis dictæ Ecclesię Beatę Marię de Pilari Cæsaraugustañ, Cæsaraugustæ habitatoribus pro testibus ad præmissa vocatis pariterq; & assumptis.

SIG ✠ NVM mei Francisci à Castro, & Bahamonde Ciuitatis Cæsaraugustæ habitatoris, Apostolicaque auctoritate vbiq; publici Notarij, & Scribæ principalis per Dominum Priorem Iudicem, & Commissarium Apostolicum prædictum ad præmemoratam causam, & desuper intitulatum processum actitandum, creati, & iurati, qui præmissis omnibus, & singulis vna cum prænominatis testibus præsens interfui, in quorũ fidẽ meo solito signo signaui, & clausi.